

Oederi nostri, hinc et laetor quod amicitia eum amplecti velis et polliceor TE si alium hunc certe ea dignum reperturum esse. Salutare TE iussit, et gratias summas mittit, quod Botanicorum Honores et ipsi tribuere velis. Quam vero plantam eius nomine appellare TIBI placuerit, perinde sibi esse dicit, ceterum certus eam fore distincti generis . . . ¹⁾ Plantas Forskählii Descriptionesque pulchras et accuratas paulisper perlustravi, quando vero manuscripta eius in lucem prodibunt, hand dicere valeo. Salutatur Fabricius, qui una cum Brünnichio rediit. Vale et fauere perge. Dabam Hafniae d. VIII. Ian. 1770.

(110)* . . . Professori Nobilissimo a Linné
Fautori ac amico aestumatissimo
S. pl. d.
J. Zoëga.

Mitto iterum catalogum seminum nostrorum, rogoque, vt ex his eligere velis quaecunque TIBI placuerint, mihi quam primum fieri poterit litteris haec indicare. Oro rogoque simul, vt quae rariora in Catalogo nostro desiderantur, quibus hortus vester prae ceteris superbit, mecum communicare velis. Quod si feceris, remittam TIBI ex desideratis quaecunque potero, et pleraque semina, quae ex Indiis a Koëniqio nobis missa sunt. Caldarium nostrum fouet Bulbosam Capensem rariorem, quae Fabricio in Enumeratione Hort. Helmst. p. 23. Scilla radice solida corymbo contorto conico audit, quaeque certe noui generis est. Planta haec pulchra nobis praeterito anno floruit et nunc iterum floret. Delineari eam curavit Oederus et iconem una cum seminibus parenti optimo transmissurus est Oederus, et si quam plantam eius nomine insignire velit, hanc prae ceteris eligi optat. Vale et faue. d. 16. Febr. 1770.

a Monsieur Monsieur a Linné Docteur et Professeur
en Medecine et histoire naturelle à Upsala
fr Elseneur

¹⁾ Om Sendinger af Fro og Planter.